hinc incapaces sunt erronei judicij; quo sibi convenientem ponant volun-
tariam omissionem rei prout affectae praecepto naturali; licet possint
rem illam secundum se, et prout praecisam a praecepto ita sibi
proponere, adeoque rem praeceptam non implere praecisive, non a privative.

241. Ad 4: nego seq: non: peccabilitas enim angeli circa spiritualia est
imbibita in natura angelica, sicut in quacunque alia creatura. et quod
Angelus malus circa spiritualia peccavit, id non provenit ex occasi-
one data, sed accepta. unde elevatio non fecit angelum deterioris
conditionis: sicut restitutio usus rationis non facit amentem deterioris
conditionis, eo quod ante peccare non potuerit, et postea peccati capax fit.

## § . 2 .

## An Angelus potuerit peccare in 1mo Creationis instanti?

242. Concl: Angelus in 1mo creationis suae instanti peccare non
potuit. Ita Th: contra Scot: et A. A. Probatur ex D. Tho: q. sum.
q: 63: a. 5: C: dicit: impossibile fuit, angelum in 1mo instanti
peccasse. et rationem dat: nam illa operatio, quae simul incipit cum
esse rei, est ei ab agente, a quo habet esse: sicut moveri sursum
inest igni a generante. agens autem, quod angelos in esse produxit,
scilicet Deus, non potest esse causa peccati. unde non potest dici, quod diabolus
in 1mo instanti suae creationis fuit malus. quod sic.

243. Probatur: a ratione. Operatio quae incipit cum esse ipsius rei tribui-
tur generanti et autori ipsius naturae. quod si 1ma operatio angeli esset pec-
caminosa tribueretur Deo. ap: nam 1ma operatio, quae incipit cum
esse rei, est quasi complementum, seu corollarium illius: quod est ab agente
productivo ipsius rei. hac ratione motus cordis, et motus naturalis
gravium, et levium est ab agente gravium, et levium. et ob hanc
rationem claudicatio alicujus tibiae claudae primo incipiens cum esse
rei, tribuitur agenti productivo ipsius rei, et tibiae claudae.

244. Cavetur solutio. non tantum operatio necessaria, sed etiam
libera, quae incipit cum esse rei, tribuitur generanti, et auctori ipsius.
Ostend: illi tribuitur 1ma operatio etiam libera, cui tribuitur 1mum
judicium practicum, et specialis applicatio ad illam operationem. sed

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII72/0100
gefördert durch
Baden-Württemberg